

# THESES,

QUAS,

CONS. AMPLISS. FAC. PHIL. IMP. UNIVERS.  
LITT. ABOËNS.

STIPENDIARIIS  
EXERCITII GRATIA DISCEPTANDAS  
SISTIT

*Mag. FREDRICUS BERGBOM,*  
*Phil. Theor. Professor P. & O.*

RESPONDENTE

*JOHANNE FREDR. TICKLÉN,*  
*Stip. Publ. Ostrob.*

In Auditorio Philosophico die IV Maji MDCCCXXV.

h. a. m. s.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



*Thes. I.*

**E**x ipsius reflexionis natura apparet, primum cogitandi actum, quo oritur conscientia, eum esse, quo mens absolute sibi opponit objectum, quod hoc actu aliter determinari non potest, nisi ut aliquid, quod mens non sit. Quamvis enim una sit natura, hæc tamen naturæ identitas primo reflexionis actu scinditur, & in mundum objectivum & subjectivum dividitur; quæ quidem oppositio in omnibus deinde cogitandi actibus, quibus continuatur conscientia, obvenit, nova licet synthesi in unoquoque momento tollatur, ad conscientiam enim non oppositio tantum modo requiritur, sed unitas quoque, qua opposita conjungantur.

*Thes. II.*

Conscientiae unitatem in mente oriri, licet objecta, tam menti, quam sibi invicem necessario cogitentur opposita, inde explicandum est, quod in producenda conscientia, ad quam conferunt & mens & objectum, mens vis positiva sit & determinans. Mens enim semetiplam absolute ponit, sed se ponere nequit, nisi alterum quid ponat sibi oppositum, & hæc absolute opposita, semetiplam scilicet & objectum sibi oppositum, una comprehendat conscientia. Hæc tamen unitas non est nisi formalis, quamobrem in absolutum vel invitissimi necessario incident dualismum Philosophi, qui in originario hoc

hoc mentis phænomeno subsistentes, Fichtio duce, totam philosophiam ei superstruendam voluerint.

### *Theſ. III.*

Cum unaquaque cogitatione aliquid per alterum quoddam determinetur, quod sine oppositione fieri nequit, Absolutum autem, quod absoluta est identitas, non nisi per ſemetipſum, haud vero per aliud quoddam determinari pofit, facile dilucet, diſtinguendam eſſe eam cogitandi formam, quæ intellectui vel reflectendi facultati propria eſt, a ſpeculatione, qua omnia, quæ in conſcientia obveniunt oppofita, in abſolutam unitatem & harmoniam reducit ratio; meras enim oriri repugnantias, ſi reflexionis legibus, quæ in mundo phæno- menorum valent, Absolutum determinare conatur intellectus, historia etiam philosophiæ fatis ſuperque teſtatur.

### *Theſ. IV.*

Licet primus cogitandi actus, omnibus reliquis fundamen- to fit, adeo ut oppositio inter mentem & objectum, quæ hoc actu oritur, ad omnes reflectendi actus in infinitum usque pertineat, hic tamen, qui absolutus eſt, quoniam nulla eum præcedit cogitatio, e ſequentibus differt cogitationibus, quæ nimurum omnes relativæ ſunt, quia cogitationibus determinan- tur præcedentibus.

### *Theſ. V.*

Cum omnes cogitationes, primum cogitandi actum infe- quentes, ad alias quasdam referendæ ſint cogitationes antece- dentes, efficitur, unumquodque judicium, quo actus cogitandi exprimitur, occultam & implicitam eſſe ratiocinationem, quod vero in primum cogitandi actum non convenit; in hoc enim actu, qui absoluta eſt & positio & oppositio, quidquam antea cognitum haud obvenit, quo vel mens vel objectum determi- nari

nari possit, sed utrumque mutua tantum oppositione determinatur, ita scilicet ut statuatur, mentem aliquid esse, quod non sit objectum, & objectum aliquid, quod non sit mens.

### *Thef. VI.*

Omnia, quæ progreidente reflexione formantur judicia, originitus synthetica esse, vel inde appareat, quod omnes cogitandi actus, qui post primum illum absolutum in mente oriuntur, ad aliquid jam cogitatum & cognitum referendi sint. Judicium enim syntheticum is est mentis actus, quo aliquid in cognitum per aliud quoddam jam cognitum determinatur. Quodlibet autem judicium in conceptum transit, qui in sequenti judicio prædicatum fit, quo aliquid antea incognitum determinatur, qua quidem via in infinitum cognitionum humarum copia augetur.

### *Thef. VII.*

Judicia autem synthetica, per novam ad conceptus synthetice comparatos factam reflexionem, in judicia necessario transeunt analytica. Unumquodque enim judicium syntheticum in conceptum mutatur, quo aliud quoddam cognoscendum determinatur. Hoc autem fieri nequit, nisi conceptus, qui jam prædicati locum occupat, facta analysi, in notas suas resolvatur, propterea quod res recens percepta cum illis conferenda est, ut perspici poscit, utrum prædicato conveniat hæc res, nec ne. Ad hoc autem requiritur judicium analyticum, quo prædicatum, ut aliquid jam cognitum, novæ reflexioni subjectur & in notas suas resolvitur. Hinc patet, judicia analytica æque necessaria esse, ac synthetica.